

29. *Judex ordinarius potest reformare sententiam suam de jure nullam.* — Additur tamen notanter, « vel coram eodem iudice, dummodo ordinarius sit. » Nam hic distinguendum est inter iudicem ordinarium, et delegatum: et ordinarius quidem, si adeatur a gravato, et querelante super nullitate sententiæ, potest reformare sententiam suam de jure nullam, ac rursus super illa causa pronuntiare, conformiter dictis supra tit. præced. n. 138. Sive dein nullitas intentetur principaliter: hoc est, quando ipsa deducitur separatim, et de per se, v. g. petendo sententiam pronuntiare nullam, ac reformari: sive nullitas intentetur solum incidenter, ut quia una partium petit iterum pronuntiare in causa, et sic deducit nullitatem sententiæ incidenter nam istud utrumque potest fieri per iudicem ordinarium, secundum jura n. præced. citata; et tradit Abbas, et Bartolus, ubi supra, et Scaccia, d. quæst. 19. remed. 1. concl. 6. n. 87. allegans alios. Qui tamen notanter addunt, quod si nullitas sententiæ solum incidenter deducatur, petendo nimirum iterum pronuntiare in causa, tunc isto modo non possit adiri superior: quia causa ad ipsum non devolveretur per appellationem, aut per aliud remedium æquivalens, puta per querelam nullitatis principaliter intentatam. Atque ob istud n. præced. additum fuit ly, « vel si principaliter intentetur, etiam coram iudice superiore: secus enim, si nullitas intentetur solum incidenter, ut dictum.

30. *Secus dicendum de iudice delegato; quod tamen limitatur.* — E contra iudex delegatus (quod intellige de delegato ad causam particularem) postquam semel pronuntiavit, sive bene, sive male, functus est officio suo, sicque cessat ejus auctoritas et jurisdictio; ac proinde non potest amplius reformare sententiam suam nulliter prolatam, sed oportet adire superiorem, seu delegantem; ut c. *In litteris. de Offic. delegat.* et l. *Si (ut proponis) pars. c. Quomodo et quando iudex,* etc.; Bartolus cit. l. *Si expressim.* § *Quæro, coram quo iudice.* ff. *de Appellation. et relation.*; Gailus, d. observat. 127. n. 5. et 6. et alii. Quanquam Abbas cit. c. *In litteris.* n. 4. et Felinus, ibid. n. 1. vers *Tertio fallit. de Offic. delegat.* istud intelligant, nisi sententia sit nulla ex defectu formæ mandati: non enim dicitur iudex pronuntiasse, si non servavit formam mandati, arg. l. *Quod tamen.* ff. *de Arbitris;* ubi arbiter iterum pronuntiat, si non servavit formam compromissi.

31. *Hodie ex usu fori ubique ferme solet adiri superior, sive iudex appellationis, super nullitate principaliter cognoscenda.* — Notat tamen Gailus cit. observat. 127. n. 7. Quod hodie ex usu fori ubique ferme obtinerit, quod superior, sive iudex appellationis, super nullitate principaliter cognoscenda adeatur: præsertim, si nullitas ex malitia, vel turpitudine iudicis inferioris provenerit, et non aliunde, puta ex errore aliquo. Quinimo in tali casu iniquum foret, ut idem ipse suæ iniquitatis, aut turpitudinis cognitor existeret, et forsitan hanc malitiose occultando ulterius reum gravaret: nam cæteroque etiam gravatus, non debet remitti ad iudicem gravantem. l. *Eos qui.* c. *de Appellation.*

§ II.

QUI, ET A QUIBUS JUDICIBUS, APPELLARE POSSINT?

32. *Regulariter quilibet potest appellare, si se injuste gravatum existimet.* Quæritur I. An omnibus sit permissum appellare, vel appellans faciat injuriam iudici a quo? Resp. I. Regulariter loquendo quilibet potest appellare tum a gravamine sibi extrajudicialiter illato, tum a sententia contra ipsum lata, si per hanc se injuste gravatum existimet. Ita communis. Ratio est, quia appellatio est species quædam defensionis, c. *Cum speciali.* 61. § *Porro.* h. t. sicque jure naturæ omnibus regulariter permessa esse debet. Additur tamen, « regulariter, » propter nonnullos casus specialiter hinc exceptos, de quibus infra § 10. et 11. per totum.

33. *Appellans non facit injuriam iudici a quo.* — Resp. II. Appellans non facit injuriam iudici, a cujus sententia appellat, utitur enim legitima defensione, sibi de jure concessa. Ita Glossa fin. l. *Illud sciendum.* l. I. ff. *de Appellat.* istud intelligens, dummodo appellans non inferat iudici convictum; aliquin enim infamia notaretur, l. *Judici.* ff. *de Injuriis.* Vallensis, h. t. § 2. n. 1. post Rebuffum, tract. *de Supplicat.* n. 49. Idque præter rationem jam allatam patet ex l. *Et in majoribus.* c. *de Appellat.* et relat. ibi: « Et in majoribus, et in minoribus negotiis appellandi facultas est: nec enim iudicem oportet injuriam sibi fieri existimare, eo quod litigator ad provocationis auxilium convolvit. »

34. *Saltem non tantam, ex qua agi possit; aut iudex a quo moveri debeat. Nemo videtur*

§ II. QUI, ET A QUIBUS JUDICIBUS, APPELLARE POSSINT?

facere injuriam, qui utitur iure suo. Per appellationem iniquitas prioris iudicis arguitur. — Dices. Appellatio fuit introducta principaliter, ut per eam iniquitas prioris iudicis corrigatur, l. I. § 1. *de Appellat. et relat.* ibi: « Appellandi usus iniquitatem iudicantium, vel imperitiam corrigit: » ergo appellans ipso facto arguit iudicem a quo alicujus iniquitatis, vel imperitiæ; ut c. *Interposita.* 70. fin. h. t. ibi: « Cum in hoc casu » appellationis a gravamine, « iniquitas prioris iudicis principaliter arguatur. » Resp. neg. consequent. Quia, licet iudici, a quo appellatur, fiat aliqualis injuria, arg. *Litigatores.* ff. *de Receptis arbitris,* et l. ult. § fin. c. *Quando provocare non est necesse,* non tamen fit ei tanta injuria, ex qua agi potest, per jura n. 32. et 33. allegata, et notat Hostiensis in *Summa,* tit. *Ut lite pendente nihil innovetur.* n. 2. Quinimo nec iudex, a quo appellatur, ex hoc moveri debet: siquidem appellans utitur jure suo: atque nemini videtur facere injuriam qui utitur jure suo, c. *Cum Ecclesia Vulterana.* § 1. *de Election.* et amplius tradit Hostiensis in *Summa.* tit. *de Appellat.* n. 5.

35. *Excommunicatus, si injuste condemnatur, appellare potest. Imo et rescriptum apostolicum impetrare.* — Quæritur II. Utrum excommunicatus, vel utraque pars, aut etiam aliquid tertius appellare possit a iudiciali sententia? Resp. I. Excommunicatus, si injuste condemnatur, appellare potest. Textus est in c. *Cum inter.* 5. et c. *Dilecti.* 8. et c. *Significaverunt.* 11. *de Exceptionib.* cum similibus. Quinimo excommunicatus non solum potest appellare, sed etiam « super appellationis articulo » rescriptum apostolicum impetrare, cap. 1. *de Rescript.* in 6. estque uberius dictum supra lib. I. tit. III. *de Rescriptis.* § 2. n. 39. 43. et 44. Nec immerito: nam etiam excommunicatis non est deneganda omnis legitima defensio, et consequenter nec appellatio.

36. *Potest interdum utraque pars appellare ab eadem sententia.* — Resp. II. Potest interdum contingere, quod utraque pars appellet ab eadem sententia, quatenus hæc utrique parti contraria est. Ita Glossa communiter recepta in cit. c. *Significaverunt.* § *Absolvit. de Exception.* Idque patet ex c. *Si duobus.* 10. ubi Abbas, n. 2. et Barbosa in *Collectan.* n. 2. h. t.; Scaccia, quæst. 10. *de Appellat.* n. 5. cum aliis, istud intelligens, quando utraque pars potest prætere gravamen

nam absque gravamine locum non habet appellatio. Id ipsum constat ex c. *Raynaldus.* 16. et c. *Raynaldus.* 18. *de Testament.* ubi a sententia prolata utraque pars provocasse legitur. Quando enim sententia sunt plura membra, seu capitula, bene contingere potest, quod eadem utrique parti quoad aliquid videatur præjudicium generare: sicque peccatur infirmari, quatenus contra se fuerat promulgata, et quatenus sibi favebat, executioni mandari. Hinc in simili habetur c. *Auditis.* 3. *De in integr. restit.* quod utraque pars Ecclesia, atque in eadem causa, peti erit restitui in integrum, fueritque restituta.

37. *Quilibet tertius potest appellare contra sententiam, si per eam se gravatum senserit.* — Resp. III. Non solum ille, contra quem sententia lata est, sed etiam quilibet tertius, si per hujusmodi sententiam se gravatum senserit, atque exinde aliquod præjudicium sibi obventurum iudicet, appellare potest. Ita communis; et patet ex can. *Non solent.* 2. q. 6. ac l. I. ff. *de Appellation. recipiend.* quo utroque in loco dicitur: « Non solent audiri appellantes, nisi hi, quorum interest, vel quibus mandatum est, vel qui negotium alienum gerunt, quod mox ratum reus habeat. » Et consequenter hi omnes, imo et singuli, « quorum interest, » possunt appellare; cum exceptio firmet regulam in oppositum, arg. l. *Quæsitum.* § *Denique Neratius.* ff. *de Fundo instructo,* cum similibus.

38. *Quod exemplificatur.* — Declaratur id amplius inductione. Sic quippe ratione affectionis, et necessitudinis, potest pater, vel etiam mater, in causa deserta filii sui appellare, cit. l. I. ff. *de Appellat. recipiend.* canonizata d. can. *Non solent.* 2. q. 6. Item potest appellare procurator in causa sui principalis, sicut et negotii alieni gestor, dummodo id dominus mandaverit, aut postea ratum habeat, per jura jam allegata. Item tutor, et curator appellat nomine pupilli, vel minoris, l. *Tutor.* ff. *de Appellat.* Item Fidejussor in causa ejus, pro quo intervenit, l. *A sententia.* ff. eod. Item potest appellare episcopus pro suo clerico, Abbas pro monacho, civitas pro cive, dominus pro subdito; ut c. *Cum super.* 17. *de Sentent. et re judicat.* et c. *Dilectis filiis.* 55. *de Appellat.* ubi tertio interesse habenti, permittitur appellare; ac notat Innocentius et Abbas cit. c. *Dilectis filiis.* in 6. per textum ibidem, Se ac suos, etc. et Gailus lib. I. *Practiç.* observat. 125. n. 6. et 7. allegans alios.

39. *Appellatio unius prodest alteri, si communi jure juventur.* — Quinimo si una eademque sententia plures condemnetur, et cæteris non appellantis unus solus appellare voluerit; non solum is audiri debet appellans, sed etiam, si ipse in causa appellationis vincat, ejus victoria cæteris prodest: dummodo communi jure juventur, idemque negotium, atque eadem defensionis causa quoad omnes existat, text. ciar. c. *Una sententia.* 72. h. t. Ubi proinde Summarium breviter ait: « Appellatio unius prodest alteri, si communi jure juventur, » etc. Concordant dicta superius tit. præced. § 5. n. 158.

40. *Illis, quorum non interest, appellatio concessa non est.* — Resp. IV. Illis nihilominus, quorum non interest, appellatio concessa non est. Patet hoc ex l. I. ff. de *Appellation. recipiend.* quæ est canonizata in can. *Non solent.* 2. q. 6. cujus verba n. 37. referuntur. Concordat c. *Cum inter.* R. 16. de *Election.* ibi: « Cum nisi quorum interest, audiri non soleant appellantes, appellationem illam dicimus legitimam non fuisse. » Accedit ratio: quia gravamen est causa appellationis, eoque cessante cessat appellatio: atqui is, cujus non interest, nullum patitur gravamen; ergo.

41. *Excepta causa sanguinis.* — Fallit istud in causa sanguinis. Nam si quis post latam sententiam ad ultimum supplicium ducatur, quem quis innocentem esse novit, aut probare velit, tunc cuilibet, etiam extraneo, et non rogato, appellare licet, quamvis cæteroquin ejus non intersit: idque exemplo Danielis prophetæ, castam Susannam e manibus iniquorum iudicum hoc modo liberantis, *Daniel.* cap. XIII. Hoc ipsum, dictante lumine naturali, agnovit Ulpianus, et habetur expressum l. *Non tantum.* ff. de *Appellation. et relation.* Idque humanitatis ergo, sive ne sanguis innoxius offundatur, ibidem expresse statuitur: haud obstante quod damnatus resistat, et cito perire festinet. Unde Bartolus in *Summario* cit. l. *Non tantum.* sic loquitur: « Cuilibet licet provocare pro eo, qui ad supplicium ducitur, etiam eo invito. »

42. *Regulariter a quibuslibet iudicibus appellare licet.* — Queritur III. An a quibuslibet iudicibus appellare liceat? Resp. I. Regulariter loquendo id esse licitum; nisi iudex fuerit princeps supremus. Prior pars sequitur ex dictis n. 32. et seqq. Siquidem appellatio est species quædam defensionis,

quæ datur oppressis contra injuriam iudicis; estque remedium institutum ad præsidium innocentia, c. *Cum speciali.* § 6. Porro. h. t. Simulque « appellandi usus iniquitatem iudicantium, vel imperitiam corrigit, » uti dicitur l. I. ff. eod. Concordat can. *Omnis.* 2. q. 6. cum similibus: « Neque enim iudicem oportet injuriam sibi fieri existimare, quod litigator ad provocationis auxilium convolvit, juxta textum notabilem in l. *Et in majoribus.* c. h. t. estque superius jam dictum.

43. *Nisi iudex fuerit princeps supremus.* — Altera pars conclusionis, sive limitatio illa, « nisi iudex fuerit Princeps supremus, » ex eo patet: quia appellatio est de minore iudice ad majorem provocatio; sicque debet fieri ab inferiori ad superiorem: atqui princeps supremus, hoc ipso, quod sit supremus, non habet superiorem; ergo. Et hinc textus in l. I. ff. « A quibus appellare non licet, » notanter inquit: « Stultum est illud admonere, a principe appellare fas non esse; cum ipse sit, qui provocatur. » Ubi Glossa *ŷ.* *Stultum,* exponit: « id est, supervacuum: quia omnes sciunt. »

44. *Appellari non potest a sententia Summi Pontificis.* — Unde imprimis appellari non potest a sententia sacrosanctæ romanæ Ecclesiæ, sive Summi Pontificis, can. *Ipsi sunt,* et can. *Cuncta per mundum,* 9. q. 3. cum veluti vicarius Christi, superiorem in terris non recognoscat: quinimo appellantes a sententiis et mandatis Summi Pontificis ad futurum concilium generale, ipso facto excommunicantur excommunicatione in *bulle Cænæ Domini* reservata.

45. *Appellari non potest a concilio generali, aut a sententia totius congregationis cardinalium.* Idem procedit in imperatore, ac regibus, etc. — Deinde non appellantur a concilio generali legitime congregato, et approbato: quia una cum Romano Pontifice, qui illud approbavit, repræsentat Ecclesiam universalem. Addit Pirhing, h. t. n. 81. et Sannig, eod. tit. cap. v. n. 3. post Dianam in *Summa.* *ŷ.* *Appellatio.* 3. n. 6. et doctores communiter, neque appellari a sententia totius congregationis cardinalium. Id ipsum procedit in imperatore, a regibus, et aliis hujusmodi, superiorem in terris quoad temporalia non recognoscentibus.

46. *Quod etiam competit quibusdam inferioribus principibus, ex speciali privilegio.* — Insuper non tantum a supremis, sed etiam a quibusdam inferioribus principibus, ex spe-

ciali privilegio eisdem concessa, prohibitum est appellare. Sic olim a sententia præfeci prætorio, appellare non licuit; sed solum poterat supplicari principi, l. un. c. de *Sententiis præfectorum prætorio.*

47. *Putat, electoribus, sac. rom. imperii, ac supremis horum dicasteriis.* — Atque istud privilegium hodie competit electoribus sac. rom. imperii, juxta Bullam auream. Engel. h. t. n. 21. Philipp. Andr. Oldenburgerus in *Lymnæo enucleato,* lib. II. cap. i. n. 27. et 28. latius istud electorum privilegium contra nonnullos alios propugnans. Et quia sententia a supremis horum dicasteriis lata, censetur esse sententia ipsius imperatoris, regis, vel electoris, utpote nomine ipsius prolata; hinc neque a supremis eorum dicasteriis appellare licet, sed solum Principi supplicari potest, saltem spectato jure communi.

48. *Hodie usus supplicandi propemodum ab Aulis recessit, et in ejus locum successit revisio. Revisores, qui?* — Additur notanter, « saltem spectato jure communi. » Siquidem hodie usus supplicandi propemodum ab Aulis recessit, atque in ejus locum successit revisio: nam de facto communiter Principes illi, a quibus appellare non licet, erectis *Revisoriis* (ut vocant) habere solent commissarios deputatos, quos appellant *Revisores,* in ordine ad priora acta judicialia, si petatur, revidenda, ipsamque sententiam, si opus fuerit reformandam. Idque fieri consuevit æquitate sic suadente: cum etiam in supremis dicasteriis, ob negotiorum multitudinem, quandoque aliquid minus bene apprehendi, sicque sententiam contra jus litigatoris proferri contingere valeat. Engel. h. t. n. 25.

49. *Revisio ejusmodi, quæ habeat specialia? Et quomodo differat a supplicatione, et appellatione?* — Cæterum revisio hujusmodi nonnulla habet specialia, et quæ in appellatione non reperiuntur. Primo enim in revisione unico duntaxat scripto possunt exprimi causæ gravaminis; neque licitum est aliquid novi, atque in actis prioribus non contentum inserere; quia permittitur solum revisio actorum priorum: secus est in appellatione, ubi licitum est puribus uti scripturis: simulque non deducta deducere, et non probata probare, l. *Per hanc.* c. de *Temporib. Appellat.* Deinde is, qui revisionem postulat, tenetur certam pecuniæ quantitatem deponere, quam amittet, si causam in revisorio perdidit; recipiet vero, si ibidem obtinuerit:

talis autem depositio pecuniæ non requiritur in appellatione. Engel cit. n. 25. addens, quod revisio suspendat executionem causæ, seu latæ circa eam sententiæ: per quod ipsa differt a Supplicatione, quæ non suspendit executionem sententiæ, conformiter dictis supra n. 22. convenit autem cum appellatione, utpote quæ pariter suspendit executionem latæ sententiæ.

50. *Regula illa, quod liceat appellare a quocunque iudice, nisi fuerit princeps supremus, patitur nonnullas limitationes.* — Resp. II. Etsi regulariter loquendo licitum sit appellare a quocunque iudice, nisi fuerit princeps supremus, ut dictum: tamen hæc ipsa regula patitur nonnullas alias limitationes. Ita communis; et patet inductione, ostendendo tales fallentias.

51. *Fallit enim, si quis ante sententiam professus fuerit, se a iudice non provocaturum; et quando?* — Fallit enim primo, « Si quis ante sententiam professus fuerit, se a iudice non provocaturum: » tunc enim « indubitata provocandi auxilium perdidit, » per textum expressum l. I. ff. *A quibus appellare non licet.* Quamvis Glossa ib. *ŷ.* *Perdidit,* recte observet, hoc procedere, si quis taliter professus fuerit in iudicio: secus, si extra; ut l. *Cum falsa.* c. de *Juris et facti ignorant.* Nisi forsan extra jus pacisceretur quis cum adversario de non appellando a sententia electi iudicis: quia tunc pariter non licebit ad provocationis auxilium pervenire, l. ult. § fin. c. de *Temporib. appellat.*

52. *Fallit quoque in episcopo, judicante inter laicos ex prorogatione jurisdictionis circa causam civilem.* — Fallit secundo in episcopo, ex prorogatione jurisdictionis judicante inter laicos circa causam civilem. Etsi enim cæteroquin a sententia episcopi possit appellari, c. *Romana.* de *Appellat.* in 6. tamen si laici in causis civilibus episcopo se committant, ejus jurisdictionem prorogando, tunc a sententia per episcopum lata appellare non possunt, l. *Episcopale.* c. de *Episcopal. audient.* Et hoc est speciale in episcopis, ipsisque ob dignitatem episcopalem ex singulari privilegio concessum ab imperatoribus, sed quoad laicos solum: nam quoad clericos, atque in ipsorum præjudicium, non potest imperator privilegiare episcopum. Abbas c. *Causam.* n. 3. de *Sentent. et re judicat.*

53. *Item in iudice delegato cum cransula.* Appellatione remota, et hujusmodi. *Remissive.* — Fallit tertio, quando iudici delegato

causa commissa fuit sub clausula, « appellatione remota. » Verum de hoc casu, sicut et nonnullis aliis, in quibus appellare non licet, commodius dicitur infra § 10. n. 279. et seqq.

§ III.

DE JUDICE AD QUEM APPELLATIONIS.

54. *Regula est, quod appellatio debeat fieri gradatim ad proximum superiorem.* — Quæritur I. Utrum appellatio gradatim sit instituenda ad proximum judicem superiorem; et quando secus? Resp. I. Regula est, quod appellatio debeat fieri gradatim ad proximum judicem superiorem ejus, a quo appellatur; non autem omisso medio ad remotum, sive mediatum. Ita Socinus, in *Fallentiis*, reg. 23. et communis. Idque patet ex c. *Dilecti filii*. 66. h. t. ubi appellatio, quæ omisso diœcesano episcopo fuit facta ad archiepiscopum, ad quem gradatim appellari debuisset, exceptione partis adversæ opposita non habuit effectum. Id ipsum patet ex c. *Romana*. § *Ab Archidiacono*. h. t. in 6. et can. *Anteriorum*. § *Ita tamen*. 2. q. 6. et l. *Imperatores*. ff. de *Appellatione*. et l. *Præcipimus*. c. eod. cum similibus; ubi appellationem gradatim esse faciendam, et alioquin remittendam ad inferiores judices, decernitur. Concordant dicta superius § 1. n. 5. Nec immerito ita fuit statutum: quia jurisdictiones non debent confundi, sed cuilibet sua jurisdictio conservari, can. *Pervenit ad nos*. 11. q. 1. et l. *Nemo*. juncta Glossa § *Auxilium*. c. de *Jurisdic. omn. Judic.* Sigism. Scaccia tract. de *Appellatione*. q. 7. n. 1. et 2. cum aliis.

55. *Ea tamen fallit in pluribus casibus.* — Resp. II. Nihilominus data regula fallit in pluribus casibus. Ita Glossa cit. c. *Dilecti filii*. § *Post hujusmodi appellationem*. et Abbas, ibid. n. 6. ac seqq. et Barbosa, in *Collectan.* n. 3. h. t. Socinus, in *Fallentiis*. Reg. 23. Sigism. Scaccia, de *Appellatione*. quæst. 7. n. 36. et seqq. novemdecim tales casus adducens, eosque fusissime declarans. Idque probatur inductione, enumerando principaliore casus illos, in quibus fallit dicta regula.

56. *Ad papam potest appellari, omisso medio, ex toto orbe in causis ecclesiasticis, ac spiritualibus.* — Et primus quidem casus exceptus est in papa: nam ad papam appellari potest omisso medio, vel mediis, ex toto orbe in causis ecclesiasticis, ac spiritualibus, et quoad eos, qui temporali jurisdictioni ipsius

subsunt, etiam in temporalibus. Siquidem ad sanctam et apostolicam sedem, quasi ad caput, suffragium habere, atque appellare, omnibus liberum est, can. *Si quis vestrum*. et can. *Ad Romanam*. et can. *Quoties*. 2. q. 6. cum similibus. Nam papa est ordinarius ordinariorum, et habet concurrentem potestatem cum omnibus inferioribus judicibus; estque jam dictum supra cit. § 1. n. 6.

57. *Haud obstante, quod secus sit in imperatore: et cur?* — Nec obstat, quod appellatio immediate facta ad imperatorem non admittatur, sed remitti jubeatur ad inferiores judices, l. *Imperatores*. ff. de *Appellat.* Idque ea de causa (etiam militante suo modo in summo pontifice) ne imperatoriam majestatem occupatam publicis causis, propter tot appellationes, quandocumque super minimis rebus interpositas, nimium inquietari contingat, cit. can. *Anteriorum*. 2. q. 6. Resp. enim, illud privilegium, quod ad papam immediate appellari possit omisso mediis, esse specialiter concessum sanctæ Sedi apostolicæ, can. *Ideo*. 2. q. 6. junctis concordantiis jam allegatis. Neque urget nimia appellationum frequentia, et ingens negotiorum moles. Nam summus pontifex, utpote Christi in terris vicarius, et communis omnium pater, erectis compluribus sacris congregationibus abunde satagit, potestque satisfacere singulorum necessitatibus: secus contingit in imperatore. Accedit, quod « non ita in ecclesiasticis agendum est negotiis, sicut in secularibus; » uti loquitur pontifex relatus can. *Non ita*, 2. q. 6.

58. *Excipitur unius casus, in quo non appellatur ad papam.* — Excipe tamen unicum casum, in quo non appellatur ad papam: si nempe appelletur a subdelegato delegavit papæ, atque is subdelegavit non in totum, sed aliquid sibi de jurisdictione reservando. Quia enim delegatus papæ representat personam ipsius papæ, merito ab ejus subdelegato non debet appellari ad papam, sed ad ejus delegatum, sive ipsum subdelegantem: idque tum ob honorem illius delegati, utpote representantis personam papæ; tum ad parcendum gravioribus partium laboribus atque expensis. Patet hoc per textum notabilem in c. *Cum te consulente*. 18. de *Offic. delegat.* juncto Summario, et doctoribus ibid. et c. *Super quæstionum*. 27. § *Porro*. eod. ac notat Abbas cit. c. *Dilecti filii*. n. 11. h. t. et Pirhing, eod. n. 90. cum aliis; estque ex professo declaratum supra lib. I. tit. XXIX. de *Offic. et*

potestat. Judicis delegati. § 7. n. 159. 160. et seqq. addendo nonnullas exceptiones hujus ipsius limitationis.

59. *Etiã ad legatum papæ potest appellari immediate, omisso mediis.* — Secundus casus habetur in legato papæ. Nam ad legatum papæ in ejus legatione, sive provincia, potest immediate appellari omisso mediis; ut cap. 1. de *Offic. legat.* quia legatus ejusmodi in provincia sua vices papæ gerere comprobatur, prout ibidem dicitur. Abbas cit. c. *Dilecti filii*. n. 12. et 19. Speculator, tit. de *Appellationibus*. § *Nunc tractemus*. n. 15. Felinus, c. *Super quæstionum*. n. 14. de *Offic. delegat.* Maranta, part. VI. *Speculi aurei*. tit. de *Appellatione*. n. 371. Scaccia cit. quæst. 7. de *Appellatione*. n. 103. allegans alios, etiam attestantes de *communis*: quidquid nonnulli apud Speculatorem loc. cit. olim tenuerint in oppositum.

60. *Ampliatur istud ad patriarcham.* — Ampliatur istud ad patriarcham, ad quem potest etiam appellari omisso intermedio. Glossa 1. can. *Renovantes*. dist. 22. istud concedens de patriarcha Constantinopolitano, per textum in can. *Si Clericus*. 11. q. 1. Scaccia, d. quæst. 7. de *Appellat.* n. 104. addens patriarcham Alexandrinum. Socinus in *Fallentiis*, reg. 23. fallent ult. post Innocentium in c. *Archiepiscopus*. de *Privileg.*; Felinus d. c. *Super quæstionum*. n. 14. de *Offic. delegat.* Maranta, ubi supra, n. 371. et ipsemet Scaccia cit. n. 204. postmodum cum aliis istud concedens generaliter in quolibet patriarcha, nempe quod ad ipsum possit appellari omisso medio.

61. *A subdelegato in totum appellatur ad primum delegantem: secus, si subdelegans sibi aliquid de jurisdictione reservavit.* — Tertius casus est in subdelegato in totum. Etsi enim a subdelegato non appelletur ad primum delegantem, sed ad ipsum delegatum subdelegantem (dummodo hic non subdelegaverit totam causam, sed solum partem, aut certum articulum ipsius, sibi quantum ad alia reservando jurisdictionem) si tamen is totam causam alteri subdelegaverit, omnem jurisdictionem suam circa eam transferendo in alium, jam non ad eum, sed ad primum delegantem appellandum erit: sicque videtur quodammodo appellatio fieri omisso medio, per textum in c. *Super quæstionum*. 27. § *Porro*. de *Offic. delegat.*

62. *A vicario generali episcopi non appellatur ad episcopum, sed duntaxat ad superiorem.* —

Quartus est in vicario generali, sive officiali episcopi nam ab hoc non potest appellari ad episcopum, sed duntaxat ad superiorem; neque valet consuetudo in contrarium, c. *Non putamus*. 2. de *Consuetud.* in 6. Nam cum sit idem auditorium utriusque nempe episcopi et officialis sui, videretur appellatio interponi ab eodem ad se ipsum; estque amplius declaratum supra lib. I. tit. IV. de *Consuetudine*. § 5. n. 75. et seqq.

63. *Non obstante quacunque consuetudine in contrarium; et cur?* — Nec obstat, quod valeat consuetudo appellandi ad superiorem mediatum omisso medio. Nam, quod appelletur ab officiali ad episcopum, est contra substantialia appellationis; cum hæc essentialiter sit provocatio de minore ad majorem. Sed quod appelletur omisso medio, non est contra ejus substantialia, sed contra accidentaliter duntaxat; unde non mirum, quod possit valere consuetudo in contrarium quantum ad hoc posterius, non vero quantum ad prius. Abbas cit. c. *Dilecti filii*. 66. n. 16. h. t. Concordant dicta superius § 1. n. 7.

64. *Valet appellatio ad superiorem omisso mediis, ubi id admittit consuetudo.* — Quintus casus, in quo valet appellatio ad superiorem omisso mediis, est, si alicubi id admittat consuetudo legitime præscripta. Patet hoc ex c. *Romana*. h. t. in 6. ubi dicitur, appellationem esse faciendam ab Archidiacono, et aliis inferioribus prælatis ad episcopum, et non immediate ad archiepiscopum, « nisi aliud Archiepiscopo de consuetudine competat in hac parte. » Concordant dicta superius § 1. n. 7.

65. *Idem procedit ratione privilegii.* — Sextus casus habetur ratione privilegii, utpote vi cujus potest quis appellare ab inferiore ad superiorem, omisso medio. Tum quia privilegium est lex privata, c. *Abbate*. 25. § *Contra*. ff. de *Verb. signif.* Tum quia consuetudo, et privilegium æquiparatur, can. *Conquestus est*. 9. q. 3. et c. *Duo simul*. 9. de *Offic. judic. ordinar.*; Glossa c. *Romana*. § *Consuetudine*. h. t. in 6; Socinus cit. reg. 23. fallent. 7; Maranta, part. VI. *Speculi aurei*. tit. de *Appellatione*. n. 372; Scaccia cit. quæst. 7. de *Appellat.* n. 95 et 99. cum aliis, quos citat.

66. *Scholares possunt appellare ad superiorem, omisso medio.* — Sic quippe, tacendo alia specialia privilegia quibusdam personis, aut communitatibus concessa, possunt scholares indebite gravati appellare ad superiorem, puta imperatorem, omisso medio; idque